UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

52. An post susceptam Eucharistiam in eadem die sit peccatum veniale petere debitum causa captandæ voluptatis? Et an sit eadem ratio de capula habita ante sumptionem Eucharistiæ? Ex p. 6. tr. 6. & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

cato, vel ſine peccato, vel poſt quodcumque aliud peccatum accedit ad celebrandum: deleto peccato per confeſſionem. Eamque ſententiam probabilem putat Bonacina *diſput*. 4. *quæſt*.6. quamuis abſolutè doceat, eſſe peccatum veniale celebrare, quoties non adeſt iuſta cauſa cum Suario, Valenza, Reginaldo, & aliis quos refert, aſſerentes vnica die ſaltem abſtinendum eſſe ex decentia, niſi adſit iuſta cauſa iudicio prudentis Confeſſarij. Quod ſanè optimum conſilium eſt: non tamen (vt dicebam cum aliis Auctoribus) video præciſam obligationem ſub peccato adhuc veniali, ſiue quando adeſt menſtruum, aut lepra, ſecluſo horrore, quem cauſaret leproſus celebrans in publico, ſiue poſt pollutionem etiam mortalem, ſiue poſt actum coniugalem redditum mortalem ex fine, aut aliter, dummodo præcedat ritè Confeſſio. Ita Dicaſtillus.

Sup. his mẽſtruo, aut lepra ſupra in tr.1.Reſ.165. §.1.ante medium, à verſ. Et in primis.

RESOL. LII.

An poſt ſumptam Euchariſtiam eodem die, ſit peccatũ veniale petere debitum cauſa captandæ voluptatis?
Et an ſit eadem ratio de copula habita ante ſumptionem Euchariſtiæ? Ex part.6.tract.6.& Miſc.1. Reſol. 14.

Sup. hoc in Reſ.præterita.

§.1. DE hoc caſu fuit olim mihi magna altercatio cum quodam viro Religioſo, qui affirmatiuam ſententiam mordicus ſuſtinebat, quam tuetur Beja *part.1.caſ*.8. qui citat Sylueſtrum, Caietanum, & Albertum Magnum, quibus addo Paludanum *in 4. diſtinct.9 q 3.art.2.concluſ*.3. D. Antoninum *in 3.part.tit.13.cap.6.*§.10. Angelum *verb. Euchariſtia 3.num.*44. aſſerentes coniugatos petentes copulam eodem die, quo ſuſceperunt ſacram Synaxim, peccare venialiter; & hoc propter irreuerentiam, quæ infertur Sacramento.

2. Verùm mihi tunc, & etiam nunc negatiua ſententia placet, quia nullibi reperitur talis prohibitio; nec videtur tanta indecentia, quæ culpam conſtituat: nec debemus laqueos coniugatis iniicere. Et quia non eſt eadem ratio de copula habita ante ſumptionem Euchariſtiæ & poſt; nam ante deſiderabatur abſtinentia à copula, vt congrua diſpoſitio ad receptionem corporis Chriſti: at poſt ſumptionem corruptis ſpeciebus Sacramentalibus talis abſtinentia à copula licita non videtur neceſſaria ad finem vllum per ſe intentum ab Eccleſia. Et ideò hanc ſententiam ſuſtinet Tabiena *ver. communicare quæſt.37.n.43.in fin.* vbi dicit hoc tantùm eſſe conſilium. Victoria *in ſumma quæſt*.87. Sanchez *de matr. lib.9 diſp.13.n.17.* Reginaldus *tom. 2. lib.29.cap.6. quæſt.7.n.*117. Magalius *in Prompt.tom.2.ver.debitum coniugale num.* 6. Marchinus *de Sacramento Ordinis tract.3.part.3.cap.2. num.*17. & alij.

RESOL. LIII.

An Sacerdos chiragra impeditus poſſit miniſtrare Euchariſtiam non pollice, & indice, ſed aliis digitis?
Et de aliis dubiis circa miniſtrationem Euchariſtiæ agitur. Primo, an Sacerdos miniſtrans Euchariſtiam extra Miſſam omittendo cæremonias vt luminis accenſi, confeſſionis generalis, abſolutionis venialium, &c. peccet mortaliter, ſi abſque vlla cauſa illas cæremonias omittat?
Secundo, an Sacerdos poſſit deferre Euchariſtiam moribundo valde feſtinanter, currendo?
Tertiò, an Sacerdos poſſit vehi equo ad præbendũ Viaticum moribundo longe diſtanti, & in hoc caſu aliqua aduertuntur, quæ contingere poſſunt in praxi?
Et infertur, an Sacerdos non ieiunus poſſit Miſſam celebrare ad communicandum alium, vel ſe ipſum in articulo mortis?
Quarto an laicus in articulo mortis, ſi non adſit alius Miniſter, poſſit non ſolum ipſe cum ſuis manibus ſumere Viaticum, ſed etiam illud aliis miniſtrare?
Quinto, an cum infirmus particulam deglutire non poſſit, poſſit Sacerdos illam ponere in cochleari argenteo cum paruo iure etiam calido, vt ita infirmus facilius in ſtomachum tranſmittat, vel ſaltem hoc poſſit fieri intra parum aquæ, vel vini, ſi aliter non poſſit infirmus particulam deglutire? Ex part. 10. tract.16.& Miſc.6.Reſ.80.

§.1. AFfirmatiuè reſpondet P. Leandrus *de Sacram.tom.2.tract.7.diſp.4, quæſt.*19. Et ratio eſt, quia tota manus Sacerdotis eſt conſecrata; imò & in caſu neceſſitatis putat, talem Sacerdotem ita debere Euchariſtiam miniſtrare.

2. Sed mihi magis placet opinio negatiua, quam præter Poſſeuinum, & Bonacinam à Leandro adductos tenet etiam P. Franciſcus Lugo *de Sacrã. lib.4. cap.12. quæſt.4. n.* 18. Dico igitur Sacerdotem, qui propter chiragram, vel aliam infirmitatem non poteſt Euchariſtiam indice, ac pollice miniſtrare, non poſſe licitè illam aliis digitis conferre; licet enim tota manus ſit conſecrata; conſuetudo fert vt Sacramenta, quæ non ſunt abſolutè neceſſaria, quoad talem receptionem, conferantur indice, ac pollice, nec ab vſu communi recedendum eſt. Concedo tamen in extrema, vel grauiſſima neceſſitate poſſe quibuſlibet digitis Euchariſtiam miniſtrare.

3. Nota hic etiam obiter Leandrum *vbi ſupra, quæſt.*28. docere, Sacerdotem adminiſtrantẽ Euchariſtiã extra Miſſam, omittendo cæremonias, vt luminis accenſi, confeſſionis generalis, abſolutionis venialium, &c. peccare mortaliter, ſi abſque cauſa vlla rationabili, eas cæremonias omittat. Quia quod accendatur lumen, quando extra Miſſam ſacra Euchariſtia diſpenſatur, expreſsè habetur *in cap. ſanè, de celebratione Miſſarum*. Ergo omiſſio huius, ſaltem, cæremoniæ non eſt cenſenda leuis irreuerentia.

4. Verùm ego puto, quod quamuis ſoleat lumen accendi, & confeſſio generalis præmitti cum quibuſdam precibus, quæ non poſſunt omitti ſine rationabili cauſa, nam aliqualem irreuerentiam contineret omiſſio voluntaria talium rituum, quos Eccleſia præſcribit: hæc non ita rigoroſè præcipi, vt ipſorum omiſſio, ſecluſo tum ſcandalo, tum contemptu, ſit mortale peccatum, ſed ſolum veniale. Et ita præter Suarez, & alios à Leandro adductos tenet nouiſſimè Pater Lugo *loco citato num.*23. *ad cap. verò, ſanè,* reſpondeo, quod loquitur quando Euchariſtia defertur ad infirmos, & tunc quia grauiter puniuntur tranſgreſſores, grauis culpa ſupponi videtur, & rituale quoque Romanum, præcipit Euchariſtiam deferri cum lumine.

5. An verò Sacerdos poſſit deferre Euchariſtiam moribundo valdè feſtinanter currendo, diſcrepant Doctores: Bonacina *vbi ſuprà, num.*9. & Barboſa *de poteſt. Parochi cap.* 10. *num.* 46. negant propter irreuerentiam Sacramenti, indecentiam, & irriſionem Miniſtri, quæ ex illa feſtinatione oritur cum quibus Eccleſiaſticum, & diuinum præceptum ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo obligare non videtur. Et ideò Martinus de San Ioſeph in *Mon. Confeſſ.tom.1. lib.1.tract.5. de Euchar.num.*17. ſic ait: [Ni eſtà obligado à lleuar el Sanctiſſimo Sacramento al enformo, ſi ha de ir corriendo; porque repugna a la reuerencia deuida a tan alto Sacramẽto, ni el precepto de lleuarle à los enformos, obliga

con

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN